

L. N. S. S. T.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA,

De

INJURIIS REGNI
PAPISTICI

In

PRINCIPES REGNUMQVE
SVECIAE

Quam

*Cum consensu Amplissimi Senatus Philosophici in Illustri
Academia Aboensi*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL,

Eloquentiæ Profess. Reg. & Ordin.

*Candido bonorum examini modeste
submittit.*

Alumnus Regius

PETRUS TOLSDORF,

Smolandia Suecus.

Die XXIII. Martii Anni MDCCXXXIV. in Auditor.

Max. horis confvetis.

ABOÆ, Excud. Ioh. Kämpe Reg. Acad. Typogr.

Sacrae Regiae Majestatis

Summae Fidei VIRO,

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino,

**D^N. GUSTAVO AD.
HUMBLE**

S. Theol. DOCTORI consummatissimo, Includatæ
Diocæs. Wexionensis EPISCOPO Eminentissimo,
Ven. ibidem Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI
Gravissimo,
Gymnasior. & Scholar. per Diocæs. EPHORO
Adcuratissimo,
MÆCENATI MAXIMO.

Non equidem sustinerem levibus hisce pagellis Tuum Re-
verendissime Præsul nomen præfigere, nisi favor ille sin-
gularis

gularis, quo literas earumque cultores excipere soles, mihi
speciem adderet fiduciamque Benigno itaque vultu excipias,
quod in pia mentis interpretamentum offero venerabundus.
Nes dedigneris me durioribus adflictum fati, Tuos inter
sientes recipere. Pro perenni Tua incolumitate ardentissi-
ma fundere vota non intermittam.

Reverendissimæ Tuæ dignitatis.

Humillimus cliens

Petrus Tolsdorf.

Maxime Reverendo atque Amplissimo Domino

Dno. OLAVO OSANDRO,

S. Theol. Doctori Celeberrimo, Diœcesios Wexiœ-
nensis Archipræposito meritissimo, Templi Cathedra-
lis ut & adjacentium Ecclesiarum Pastori vigilan-
tissimo, Synedrî ecclesiastici Adfessori primario,
Promotori certissimo.

Admodum Reverendis atque Præclarissimis Viris,

Dominis MAGISTRIS,

S. Theol. & Philosophiæ Lectoribus in Reg. Gymn.
Wex dignissimis, Sacri Collegii Adfessoribus accurat-
tissimis, ut antea Præceptoribus optimis, ita jam pro-
motoribus certissimis.

Plurimum Reverendo atque Præclarissimo

Dno. Mag. DANIELI LANNERO,

Pastori in Nœbbeled & Torsås meritissimo, Fauto-
ri exploratissimo.

Plurimum Reverendo atque Doctissimo Domino

NICOLAO LINNÆO,

Ecclesiæ Stenbrohultensis Pastori vigilantissimo nu-
tritio olim meo liberalissimo.

*Pagellas hæc in grata mentis indicium
dat dicat & dedicat.*

Max. Rev. atque Præclariss. Nominum Vestrorum.
cultor humillimus

Petrus Tolsdorf.

Viro Maxima confidens ac Prudentissimo,
Dno JOSEPHO PIPPING,
Mercatori Aboënsi honestissimo
Fautori & Nutritio plurimum honorando.

*S*ententia illa Ciceroniana; *inops si bonus est vir, etiamsi gratiam referre non potest, habere certe potest, me officii comminuit quod, ipsa etiam ratio quolibet docet, beneficia nimirum accepta gratissima mente agnoscenda esse, eademque, si res atque fortuna rependere non permittant, animo saltem recondi debere. Tanta vero fuere benignissime Patrone, quae mihi jam per triennium & quod excurret praestitisti, ut plura a Parente vix ac ne vix quidem proficisci potuerint. Quum itaque alia dare non valeam benivole queso accipias, chartaceum hocce quaecunque sit munus, quod Tibi, cum voto pro Tua Tuorumque salute perpetua, dat dicat atque dedicat*


Honestissimi Nominis Tui,

observantissimus cultor

Petrus Tolsdorf.

CONSPECTUS.

- §. I. Religio Christiana cum vera politia concordat.
- §. II. Religio Pontificia politia est adversa.
- §. III. Primi Christianismi plantatores in Suecia a fermento Papsimi non erant immunes.
- §. IV. Post fixam in patria sedem religioni Christiana concessam, mala Papsimi invalescebant in detrimentum reipublicae.
- §. V. Numerosa otiosorum hominum turba largis redditibus sustentabatur.
- §. VI. Multum pecunia in usus papales efferebatur e patria.
- §. VII. Varii erant Episcoporum redditus & magna pars ipsius soli reipublicae subducta illorum dominio subiciebatur.
- §. VIII. Clerici cum personis sacris potestati imperii civilis eximebantur.
- §. IX. Clerici non tantum in suae sortis homines dixerunt jus, sed laicos etiam cum clericis controversantes ad sua protrahabant tribunalia.
- §. X. Alias praeterea causas mere civiles ad forum Ecclesiasticum transferebant.
- §. XI. Hi leges peregrinas h. e. jus canonicum potissimum observabant.
- §. XII. Eisdem sententias a se latas mandabant executioni.
- §. XIII. Episcopi Romano-catholici militem & loca munita habebant.
- §. XIV. Eisdem ad injurias Principibus inferendas turpiter abutebantur.
- §. XV. Ergo Gustavus Rex, regnum Papsiticum recte exterminavit.



I. N. J.

6.

Religionem Christianam cum vera Politia concordare non prolixa indiget probatione. Patet hoc primum, ubi ad originem utriusque attendimus. Sacra Christianorum Deum agnoscere Auctorem, nemo eorum, qui Christo dederunt nomen, in dubium vocare debet. Probarunt hoc viri eruditi atque cordati argumentis gravissimis ex ratione desumptis. Ipsa oracula Divina intrinseca virtute hanc veritatem in pectore credentium fortissime confirmant. Imperium vero civile a Fonte illo unico omnis boni derivandum esse manifesta pariter evidentia constat. Non opus est hic recurrere ad Majestatem aliquam immediate a Deo oriundam. Hæc etenim quid sit, & quomodo in homines transfunderetur nos ignorare fatemur. Verum assertioni nostræ nihil inde decedit. Nam id constat, Deum velle conservationem & felicitatem generis humani.

unde

*Et alteri prostat officia & comoda ejus promotum ut
ut ipse floreat fama justitia, candoris & integritatis
vita ac jure q̄i sua remuneratores et officia ab ipso
prospicere q̄dedit, religiose v. hoo hoo bene cupit & comoda
ut salutem optet, & si per vicium qd ab eo averterit, tum
remuneratioem & populat, sed mutat se fuisse qd suum
erat.*

Unde sequitur. Eundem probare media, sine quibus hic finis obtineri nequit. Juxta autem certum est posito hoc rerum statu, homines sine imperio civili salvos & incolumes manere non posse. Ergo concluditur hoc voluntate Divina institutum esse, atque suprema protegi manu. Quum itaque Deus & religionis Christianæ & imperii civilis sit Auctor, & idem ut optimus juxta ac sapientissimus sibi contradictorius esse nequeat; indubium evadit, utrumque cum suis juribus, in quantum nativam servant puritatem amice inter se conspirare. Idem clarius adhuc patescit ubi indolem utriusque paulo attentius consideraverimus. Recte se tum habet respublica, ubi qui illam administrant, sive unus fuerit sive plures, in populum sibi commissum optime sunt animati, ejusque commoda & felicitatem omni studio procurant, ubi cives in omnibus quæ legi Divinæ vel naturali vel revelatæ non contrariantur, imperantibus promptum exhibent obsequium, & denique mutuam inter se benivolentiam exercent, ac uno nisu publicum promovent emolumentum. Hæc est basis cui imperiorum salus nititur, & huc omnia fere tendunt præcepta veræ & genuinæ Politicæ. Verum ubi talia sollicita magis opera inculcantur, quam in sanctissima Christianorum disciplina? Curam ab Imperantibus exigit Paulus. Idem obedientiam erga illos civibus injungit. Charitatis autem virtutum principis

com-

* Et hoc propter Deum, Politia v. ut recte se habeat respubl. et sic propter secularem quandam felicitatem ad eam v. conspirant.

commendatio in codice præcipue novi testamenti utramque constituit paginam. Quid? quod Salvator ipse hanc ad inimicos quoque extendere doceat. Habet præterea religio Christiana, insignem prærogativam præ omni philosophia morali. Hæc etenim vel præmia proponit ac pœnas ex actionibus bonis & malis naturali rerum serie consequentes, vel neminem intentat, cujus tamen vias ac modos non adsequitur. Illa vero homines præmiis maximis iisdemque æternis ad obsequium invitat, ac immorteros pœnis gravissimis & nunquam terminandis percellit.

§. II.

Ubi attentionem convertimus ad religionem Pontificiam hic rem se aliter habere facile deprehendimus. Nam hæc secundum primaria sua capita e diametro opposita est regulis illis architectonicis, quibus iusta civitatum structura absolvitur. I. Imperium civile debet esse summum, h. e. neminem præter Deum agnoscere superiorem. Id ad ipsam illius essentiam pertinet; quo remoto inferior quidam Magistratus tantum foret. Pontifex Romanus vero in ipsos Principes ac Imperiorum Gubernatores potestatem sibi vindicat. II. Imperio civili omnia civitatis membra subjecta esse oportet. Hoc pariter natura ejus comprehendit. Imperium enim sine subjectione intelligi nequit. Sed in regno pontificio omnes

Clerici & personæ sacrae nominatae hominesque illorum seruitio addicti, partim ab hac subiectione sunt imunes partim illa utuntur admodum limitata. III. Administrationes publicæ ex Auctoritate supremi Magistratus proficiscantur necessarium est. Id constat ex superioribus. Neque harmonia dari potest in corpore politico, nisi unum habeat principium motus. Pontifex autem ejusque satellites negotiis civitatum identidem se ingerunt, eademque suo ex arbitrio cupiunt moderari. IV. Singula quæ in civitate geruntur ad publicum emolumentum sunt referenda, Hoc est mensura illa, ad quam Imperantium juxta ac parentium & jura & obligationes & actiones exigere convenit. Ast regnum pontificium suum ubique quærit lucrum & quidem cum damno reipublicæ. Huc dogmata ejus huc artes collimant. His positis constat religionem Pontificiam civitates efficere bicipites, h. e. tales, quæ in aliis legitimos Imperantes, in aliis Pontificem Clerumque Romanum Dominos venerentur. Quantæ hinc collisiones ac turbæ in reipublica existerint, & quantæ calamitates enatae fuerint, temporum experientia testatur. Prolixum nimis foret, per Christianismum late exspatiando exempla hanc veritatem adstruentia colligere, quorum tamen maxima ubique copia occurreret. Nos historiam tantum patriam consulere proposuimus, quod illa circa præsens negotium suppeditat, quantum instituti ratio postulat, breviter enarraturi. Neque

que a nobis expectes L. B. ut omnia, quæ huc pertinent proferamus. Id enim foret integrum fere corpus historicum istorum temporum condere. Suffecerit nobis, summa rerum momenta, quæ themati nostro confirmando inserviunt in medium adduxisse.

§. III.

ET si primis Christianismi plantatoribus in Svecia magnam debeamus laudem, gloriamque maiorem summo rerum Directori, qui majoribus nostris salutis suæ fontis guttulas libare concesserit; eos tamen a pontificum fermento non fuisse immunes, adeoque nec veram Christi doctrinam per omnia nostris tradidisse tuto asserere audemus. Nam ecclesiæ Romanæ error suas etiam dudum ante illa tempora egerat radices & ad insigne assurrexerat fastigium. Hæc ceterarum mater censēbatur & magistra, quarum regimen sibi arrogare non erubuit Pontifex. Idcirco constituit ille doctores, si quidem docendi munere rite recteque fungi crederentur. Ille autem alios ecclesiis non præfecit, nisi quos sua in religione bene institutos atque quos suam eminentiam auctoritatemque auditoribus fore commendaturos sciret. Absque Pontificis venia nemini septentrionales hæc terras docendi gratia petere licuit. Quapropter, etsi Ansgarius quidem, cum venia tantum Ludovici Pii, petente Svionum Rege Berone III. Sveciam ingressus docuit; ibi tamen non ultra

tra sex menses moratus est, priusquam ad Imperatorem Ludovicum revertebatur. Nec mora, cum aliis Legatis ad Papam Gregorium IV: cum mittitur, ut acta sua ab iplo confirmarentur; quem pallio donatum Legatum atque vicarium suum cum successoribus ejus fecit Papa, Hamburgum borealium regionum metropolim constituens (a). Tantæ autem dignitatis hæc erat appendix, ut ipse & successores tanquam Legati Apostolici ad omnia decreta & epistolas Pontificum jurejurando obstricti, septentrionales omnes, jugo fidei predicatione sua subditos spirituali possiderent dominatione. Transparent heic unguis Antichristi ut quilibet videre potest. Jugum enim fidei idem hoc loco valet, ac imperium papisticum, a suavissimo Christi jgo toto celo distinctum. Dominatio quoque spiritualis *πνευματικὴ ἀρχὴ* est, contra indolem veri evangelii & praxin Christi ac Apostolorum ad proculcanda Principum & civitatum jura callide excogitatum & mundo simplici obtrusum. Palpabile itaque evadit, quid hac legatione intenderit Jupiter ille Romanus, nimirum totam septentrionem suæ potestati subicere. Memoriae produnt historici Olauum Skotkonung in patriam arcessisse predicatores ex Anglia, utpote Sigfridum, Grinikum, Rudolphum & Bernardum. Sed nec hi ab erroribus pontificiis fuere immunes, quum Anglia eo tempore Pontifici Romano addictissima esset (b). præterea etiam confirmari ab Archipræsule Hamburgensi voluerunt

fuerunt. Misit Rex legatos ad Archipræsulem cum
 muneribus, qui precibus illum fatigarent, ut Epi-
 scopos hos reciperet aliosque plures ad se transmit-
 teret. (c) Tradit etiam Adamus Bremensis Sigfridum
 ex Svecia Libentium secundum, Archipræsulem Ham-
 burgensem invisisse, ei Christianismi in Svecia pro-
 gressus exposuisse, & a Libentio denuo ad prædican-
 dum fuisse missum (d). Ab Unvano etiam Thurgotus
 constituebatur Episcopus Scharenensis, per quem Rex
 Olaus Unvano ingentia mittebat munera (e). Pot-
 estatem enim soli Archipræsules Hamburgenses ob-
 tinuerunt Episcopos constituendi, quod bulla Papæ
 Leonis IV:ti indicat, in qua Ansgarium sic alloqui-
 tur; *Aze frater beatissime opus bonum quod incepisti nec des-
 sistas donec perficias. Funda in locis oportunis ecclesias
 consecra presbyteros & per determinatos terminos ordina
 Episcopos, quorum Tu omnium Archiepiscopus eris* (f). Hac
 potestate etiam successores ejus ornati fuere, ad illa
 usque tempora, quibus Reges nostri in patriam ob-
 tinuere Archiepiscopos, quod videmus ex epistola
 Alexandri Papæ ad Haraldum Nordmannorum Re-
 gem, in qua indicat Adalbertum questum fuisse, E-
 piscopos ejus aut non esse consecratos, aut data pe-
 cunia contra Romana privilegia in Anglia vel in Gal-
 lia esse ordinatos; qua propter ex auctoritate Apo-
 stolorum Petri & Pauli admonuit, venerabili Archi-
 episcopo vicario suo & vice sua fungenti, Apostoli-
 cæ sedis debitam reverentiam præstare (g). Doctrinam

de bonorum operum meritis, quæ caput est Papismi, atque Sanctorum demortuorum invocatione, illis temporibus inolevisse facile nobis persvadet Adamus Bremensis Adalvardum morti vicinum ita locutum fuisse perhibens: *Ideo nos oportet clementissimum orare Dominum ut Tibi indulgeat secundum multitudinem misericordie sue teque in aterna beatitudine collocet, per merita omnium sanctorum suorū, quorum Te patrocinio devote semper commendasti (b).* Adfert multa de Rimberto, & inter ea quæ purgatorium sapiunt. Dixit enim Rimbertus se presbyteri defuncti animam supplicantem, post XI. dierum in aqua & pane jejunium, a tormentis absolvisse (i). Neque tum praxis Papismi erat omnino nulla. Adalvardo enim, cum primum Sigtonam accessisset, ad unam missarum celebrationem ad manum fuerant oblatae LXXX. marcae argenti, quales oblationes identidem repetebantur, ut vix Christianus esset, qui non quotidie offerret ad missam. Nec parum impediabatur progressus evangelii avaritia sacerdotum ipsius temporis. Testimonium Adami hoc saltem loco irretragabile est. Ille de situ septent. regg. Prædicatores veritatis, inquit, *si casti prudentes & idonei sint, ingenti foveant amore (Sviones) adeo ut concilio populorum communi, quod ab ipsis Warp, a nobis Tinc vocatur, Episcopos interesse non renuant, ubi de Christo & Christiana religione audiunt non inviti: Et profecto facile sermone ad nostram fidem persvaderentur, nisi quod mali Doctores dum sua quarunt, non*
que

9
qua Jesu Christi, scandalizant eos, qui salvari possent.
De Adalvardo & Stephano in hunc modum scribit
Bazius, Christianismum potius imperarunt, quam predi-
carunt (k). Quare pertulerunt i reformatores contradi-
ctionem & persecutionem a populo nondum recte informa-
to. Sic horum Prædicatorum studium potius fecit dispendi-
um quam compendium conversionis Suiogothorum. Hæc ta-
men sic accipienda non sunt, ac si primis Christia-
nismi Plantatoribus tribueremus, quod prava in-
tentione, nimirum ob lucrum tantum & honores præ-
dicaverint evangelium. Potius persuasum est multos
ex illis finium quos Papa & ejus Purpurati sibi propo-
sitos habuerunt fuisse ignaros, & negotium sibi com-
missum simpliciter egisse, quod curia Romana suam
in rem callide destinaverat.

(1) *N. ettelblatt in der Swedischen Bibl*, p. 6. 10. *Lam-
becius in Origin*, Hamburg, Num. 121, 1299. p. 35, 36. (b) *Net-
telblatt* p. 13. (c) *Ornhelm, bist. eccl. lib. III. c. IV. p. 177.*
(d) *Adam. Brem. bist. eccl. lib. II. c. XLIV.* (e) *Ornhelm.*
b. eccl. p. 179. (f) *Lambecius in Chronol. rer. Hamb.* p. 110.
N. 371. (g) *Adam. Brem. lib. III. c. 19.* (h) *lib. IV. c. 35.*
(i) *lib. I. c. 3.* (k) *Bazius in bist. eccl. lib. IV. c. 5.*

§. IV.

PRudentia politica Doctores Pontificios usos fuisse
in doctrina sua nostris tradenda facile induci-
mur ut credamus; quoniam non statim ea in lucem

*nec injuste indignabitur quisvis pro-
cum viderit honorem Ordinis sui laesum.*

protulerunt, quæ homines religionis hujus rudes, offensura viderentur; sed sensim atque paulatim sub specie veræ fidei zeli que pro gloria Christi ejusmodi præceptis illos imbuendos curarunt. Hortatus enim est Ansgarius, illos quos primum huc mitebat sacerdotes, ut sibi ab avaritia & opum cupidine caverent, ne viderentur gentis opes plus appetere, quam progressus eorum in sacris literis. Ansgarius ipse huc veniens non exiguam pecuniarum vim secum attulit, qua eorum sibi compararet amicitiam, quorum opem sibi maxime profuturam esse in negotio suo perficiendo existimavit (1). Et quamvis *dominatio spiritualis* dicta in totum septentrionem a Pontifice Archiepiscopis Hamburgensibus collata esset; jus tamen hoc præsumtum in ecclesiam Sveogothicam non exercuerunt. Verebantur enim ne hoc modo Reges libertatis publicæ curam agentes contra se excitarent, quo facto spes hierarchiæ olim introducendæ in irritum cadere potuisset. Reges quidem svadente Clero sedi huic detulerunt honorem; sed sine subjectione, quam Papa & ejus vicem gerentes exigere solebant. Nec dubium est, quin & Archipræsules Hamburgenses & Clerus Sveciæ Reges omni studio celaverint indolem potestatis hierarchicæ. Legati quoque illi transmarini Regum nostrorum favorem captaturi muneribus illos coluerunt. Adamus Bremensis sic refert: *Unusquisque Archiepiscopus thesaurum Ecclesie diu solliciteque collectum & quasi minus necessarium*

si infra parietes clauderetur, ipse ad commodum suae Legationis ita curavit expendere, ut ferocissimos septentrionis Reges hilaritate suorum munerum ad omnia, quae voluit benignos obedientesque haberet (m). Nec nostri per omnia Hamburgensibus oblequebantur. A Rege Emundo, quidam Osmundus nomine Archiepiscopali dignitate ornabatur; qui cum Romae ordinationem petens repulsam tulisset, in Polonia ordinatus huc revertebatur, crucem Archiepiscopalis muneris insigne sibi praeferebat. Hoc Hamburgensis cum indignatione excepit, & Legatos misit ad Emundum, de injuria, ceu opinabatur sibi facta exoptulatos; qui cum ignominia repulsi non sine periculo ad Dominum redierunt. Sic longo post Christianismum receptum tempore, libertas politica ab hierarchia in patria remansit. Et historia docet potestatem Papae quoad exercitium, occasionem praebente Regum indole ad superstitionem proniore, sensim incrementa cepisse. Neque omnia simul ingerebantur dogmata Papistica, quorum plurima sequiori demum aetate irreperunt, prout ratio status hierarchici exigere videbatur. ~~Observare licet, quod Papismus validum robur~~ tum praecipue consecutus fuerit, ubi in regno Sviogothico instituebatur Archiepiscopatus. Cum enim Praefules Hamburgenses ceu remotiores, populum natura animosum in obsequio Papae continere nequissent. Archipraefules illi in ipsis patriae visceribus haerentes, quascunque occasiones rem papisticam stabili-

pag 5.
 §. 111.

liendi & augendi observarent.

(l) *Ornb. hist. eccl. lib. I, c. 10. p. 27. Rimb. XXIX, 8, seq.*

(m) *Adam. Brem. h. eccl. lib. II, c. 35.*

§. V.

A Ccedamus jam propius ad institutum, calamitates, quas Patriæ intulit Papismus breviter explicaturi. Inter mala ex illo Patriæ inducta, primo loco referimus, quod regnum inutili hominum turba fuerit impletum, utpote, Abbatibus, Prioribus, Abbatissis, Priorissis, Canonicis, Monachis, Nonnis & aliis, qui hisce intervirent. Hi omnes largis redditibus sustentabantur, nimirum decimis, Oblationibus, donationibus testamentariis, quæ sane non minimæ fuerunt. Civium enim animos ita fascinaverant, ut existimarent se tanto majorem gratiam cœlestem accepturos fore, quanto majora dona his conferrent. Quare sua sæpe bona pigris hisce ventribus simplices addixerunt, neglectis filiis atq; cognatis, quibus deinde res ad honestam educationem necessariæ defuere. Nobilis illa fœmina Doter, post decimam cum filio Gere litem (restitit enim ille) dedit Monachis quibusdam ordinis Cisterciensis aut e Novavallensi aut alio peregrino cœnobio accitis prædium Wibyense prope Sigtunam; quod illi mox in cœnobium converterunt; sed cum hic locus minus aptus ad habitandum illis videretur; impetrarunt a Rege Canuto aliud Saby dictum, in Sudermanniæ parœcia Iulita situm.

situm. Eidem Archiepiscopus ipse Stephanus quolibet anno marcam dedit, quod sine dubio fecit, ut alios ad large dandum commoveret. Nec spes eum fallebat. Multis namq; villis inunctum, est a Rege cœnobio huic tributum pendere. Et ne quid deesset hisce Monachis ad bene & laute vivendum alia etiam Regis liberalitas effecit. Dedit quippe illis aliquot prædia ex suis propriis, qua de re sic literæ ejus sonant. *Canutus Rex Swionum Dei gratia, salutem & regiam pacem! Universitati vestra notum esse non ambigo, quod mansionem meam in Juloth, & omnia ad eam pertinentia, videlicet insulas, piscationes, silvas, quas Reges qui ante me fuerunt, obtinebant, Monachis ibidem Deo famulantibus, in propriam possessionem, partim me vendidisse partim donasse, insuper prædia duo adjacentia capella, que hætenus H. sacerdos excoluit jurisdictioni eorundem fratrum commisimus.* Alio tempore, eisdem Monachis, prædium Rothma seu Rothom ex bonis decessorum Regum & Engsevv seu Qingsö ex bonis suis patrimonialibus illud venditionis hoc donationis titulo & duas præterea mansiones quæ vocantur Bool contulit. Pari etiam ratione cetera monasteria quæ pauca non fuere, largis redditibus ornarunt majores nostri falsa meriti persuasione inducti. Quam noxium fuerit hoc genus hominum Republicæ, pronum est colligere. Numerosi illi otiosorum greges claustris suis inclusi, ut insecta Ægyptiaca terræ viriditatem depascebant, nihil gerentes, quod aliis ullo modo prodesset.

desset. Quis non injustissimum æstimaret, si in familia, quidam assiduo labore necessaria pararent, parco & frugali victu contenti; quidam vero complicatis sederent manibus, vitamque de bonis aliorum, sudore partis agerent voluptuosam. Idem in republica valet, ubi omnes communi bono aliqua opera inservire oportet. Et qui id non faciunt, eodem loco habendi ac in alveatibus faci. Verum hoc Sveciones calliditate sacerdotum Papalium occæcati, tum non animadverterunt,

vid. Ornhelm. hist. eccl. pag. 559. 560. 564.

§. VI.

Sicut raro una calamitas sola, sed altera alteram plerumque excipit; ita nec contenti fuere Pontificii, cives ad inutilem turbam alendam fraude permovere; verum etiam ipsis persuaserunt, ut Romanæ celsitudini sustinendæ conservandæque multa conferrent. Et quod dono ipsis primis temporibus bona fide dederant, illud postea tamquam debitum exigere cepit. Censum Petrinum Pontifici quolibet anno persolverunt Sveci nostri, qui etsi non adeo magnus fuerit; (daret quippe quilibet civis, qui tribus marcis exceptis armis & vestibus gauderet numulum tantum) crevit tamen per quinque secula in summam ingentem (n). Multum etiam pecuniæ Pontifici cessit in palliorum episcopaliū solutionem, quorum quodlibet, si fides Nobilissimo

Orn.

Ornhelmio sit habenda, quater mille quadringentis septuaginta quatuor thaleris imperialibus, si vero potius Peringskioeldio credere placet, mille nonaginta septem cum dimidia marcis argenti puri constabat(o). Deinde etiam dona illa quæ Episcopi nostri saltem quolibet triennio Apostolorum Principi, si ita dicere fas est, mitterent, multum pontificios auxerunt thesauros. Indictum quoque est anno MCCCXVI:to a Clemente V:to in consilio Wiennensi, ut extraordinaria subsidia pro expeditionibus cruciatis penderent nostri, ex quibus non parum augmenti cepit res Pontificia. Dedit enim Svonia præter propter tricenis & ter mille atque sexcentos thaleros unciales. Sed nec hæ rationes satisfacere avaritiæ papali, plures adhuc erant inveniendæ. Quapropter nundinatores indulgentiarum emisit, seculo XV:to & viginti primis annis XVI:ti, nimirum Marinum a frageño, Raymundum Pyrandrum, Antonium Mast, Johannem Spelingium, Izardum Gravium, Johannem Arciboldum, quorum ultimus ex Scandinavia decies centena millia aureorum asportavit, quod Christiernus illud quoque Pontifici exprobravit.(p) Sic Svecia, quam nulla populorum vis subegerat, transalpino homini facta erat vestigalis.

(a) *Oernb. h. eccl. lib. III. c. 4. p. 181.* (o) *Oernhielm. lib. IV. c. V. p. 511.* (p) *Nettelblatt in der Schwed. Bibl. p. 96. 97. Messenii Scand. Ill. Tom. IV. p. 4.*

Magna quoque pecunia, quam in publicæ rei commodum convertere oportuisset, ærario regni subducta, in Episcoporum transitit fiscum. Horum reditus nec unius generis fuere nec modici. Nam præter bona illa, quæ ex sede cuique episcopali cessere, etiam de facultatibus suæ Diœcesios portionem habuerunt, quæ cathedralici nomine insigniebatur. Tertiam insuper partem honorum, in pios usus collatorum, sive simpliciter donata, sive testamento relicta erant, sibi vindicarunt. Inprimis clerici vita excessuri, usibus hiſce opes suas consecrabant, unde corpus hoc proprius quasi ex visceribus nimium crevit (9). Quum judiciariam potestatem sibi arrogassent Episcopi, etiam multæ pecuniariæ hiſce solvebantur ob crimina illa quorum cognitio ad eorum pertinebat forum. Quorum certe numerus non erat exiguus. Quidquid enim deliquisset clericus Episcopo luebat, eidemque pluribus in causis laici multabantur (*). Decimæ huc accedunt, quas obtentu mandati Divini sibi clerici vindicarunt. Integrum autem nobis non est plurima illa prædia recensere quæ sedibus Episcopalibus subjacere. Cum primum fundabatur Upsaliensis omnem terræ tractum Upsala Sæde dictum accepit, qui famosissimo illi per totum septentrionem sano antea fuerat subiectus. Eisdem etiam Archiepiscopi, qui plerumque ex nobili gene-

genere atque stemmate eligebantur, ingentem prædiorum numerum ex suis testamento adjecerunt. Seculo autem XV;to non prædia tantum verum etiam integra territoria acceperunt Archiepiscopi vel in feudum vel in perpetuam possessionem. A. 1442. territorium obtinuerunt Oesthammerense, A. 1465. territorium Stekenfense, A. 1471. tractum terræ Nordmarchia dictum, A. 1481. quartam partem fodinæ argenteæ in Film A. 1482. Bothniam septentrionalem, A. 1483. territorium Oelandense, & denique A. 1497. urbem Upsaliensem idque cum illis juribus, quibus ante ad regem pertinuerat. De prædiis Episcopi Lincopënsis longum enumerat cathalogum Oernhielmus, quæ quidem multo plura fuere (r). Eiuscemodi largis proventibus ceteri ornati erant Episcopi. In eam multitudinem illo tempore excreverant bona immobilia in pios usus, uti credebatur concessa, ut Rex gloriosissimus memoria Gustavus I;mus sibi regnoque vindicare potuerit viginti prædiorum millia, præter illa quæ Nobilibus largitione majorum ad paupertatem redactis, reddebantur (r). Tantum tamen superfuit Episcopis, quantum ad dignitatem tuendam sufficeret.

(q) *Nettelblatt* in der Schwed. *Bibl.* pag. 60, 41. (r) *Upland. Tit. de Fundorum cultu cap.* 23. (s) *Nettelbl.* p. 67. (t) *Peringskiöld* in *monum. Ullerak. sect.* II. c. 9. p. 129. *littere donat. & infeudas. in docum. ad chron. Episcoporum*

Spiegel. p. 62. seq. Oernhielm. hist. eccl. lib. IV. c. VII. p. 563.
 (X) Nettelbl. p. 97. Peringskiöld. in mon. Ullerak. Sect. II. c.
 IX. p. 175.

§. VIII.

REvertamur ad Clerum Pontificium, Quum Regum atque civium larga manu opibus & divitiis ita esset ornatus sacer ordo; nihil magis ipsi in deliciis fuit, quam a magistratuum politicorum imperio penitus eximi; quod etiam privilegium tandem per minas atque sophisticaciones Pontificum obtinuit. Nam ab oneribus publicis tam personalibus quam realibus factus est immunis adeo, ut nec pro se & familia, nec pro fundis censum dare necessum habuerit. Et quod mirabilius videtur, ne multæ quidem pecuniariæ ob crimina ab hominibus fundos Episcoporum incolentibus Regi solutæ sunt. Tam arcte tenebant quod semel in possessionem eorum venerat, ut ne quidem Patriæ afflictæ subvenirent, sed quantum poterant reclamarent. Et si quando ope sua vel tantillum sublevarent, dixere se illud non ex debito sed gratia facere, probe observantes hac in re juris canonici sanctiones, quæ ita audiunt: *Si tanta sit in republica necessitas aut militas, ut Episcopus cum clero suo, laicorum non suppetentibus facultatibus, communes utilitates per subsidia ecclesiastica sublevanda ducant, Romano prius consilio pontifici, omni penitus cessante coactione, aliquid in communi eos conferre posse*

posse volunt, quæ laici humiliter ac devote eum gratiarum actione debeant recipere (z). Hoc excepit aliud privilegium æque civitati damnosum, nimirum immunitas a foro civili, quam in variis suis epistolis severe urgebat Pápa Alexander III;us. Illam consecuti sunt, si non prius saltem ad exitum seculi XII;mi; cum peculiare iudicium clericis concessum est a Rege Sverchero, qui edictum edebat, ne Clerici Divino calcui mancipati pro delictis quoquo modo commissis, ad laicale iudicium protraherentur; sed de causis suis Archiepiscopis & Prælatiis responderent (a). Hi autem superiorem alium non agnovere quam Pontificem Romanum. Quapropter videmus regni Gubernatorem Stenonem Sturjum non ausum fuisse Archipræsulem punire, etsi manifestus esset patriæ proditor atque publicæ tranquillitatis turbator; sed causam ad Pontificem detulisse, cujus cum monitum aspernaretur Archipræsul; illum coram regni Ordinibus accusavit Steno, qui eum munere Archiepiscopali indignum pronuntiarunt arcem ejus evertendam curantes (b). Sed hanc ecclesiasticæ libertatis violationem ut tum purabatur, Gubernatoris atque Senatus excommunicatione puniebat Leo X;mus; Auctori vero arcis evertendæ multam centies mille aureorum imposuit.

(z) Lancellott. *inst. Jur. canon. lib. II. Tit. XX. §. 15. a*
Nettelblatt. p. 45. Messen. Seond. ill. Tom. XII. p. 110. Oern-

*hielm. hist. eccl. lib. IV. c. VII. p. 581. (b) Nettelbl. p. 57.
Ericus Upsal. hist. Sviar. Götborunq. lib. V. Messen. Scand.
ill. Tom. IV. p. 75.*

§. IX.

NEC tamen Episcopi dubitarunt ad sua tribunalia protrahere Laicos, imprimis cum clericis controvertentes. Si enim Laicus Clericum verberibus affecisset, coram Episcopo compareret, qui de ea re sententiam ferret, reusq; Romam mitteretur pœnitentiæ agenda causa. Multas præterea causas quæ ad forum Ecclesiasticum pertinere ipsis videbantur judicarunt, ut hæreses, perjuria, Simoniam, superstitiones aliasque plures. Sic accepimus rusticum quendam nomine Hemmingum, articulos quosdam Monachis Wadstenensibus proposuisse contra fidem & decreta Sanctorum. Quibus auditis Lincopiam eum citavit Episcopus atque hæresios convictum carceri mancipavit. Ibi autem jejuniis confectus articulos revocavit pœnitentiæque se subiecit, quæ talis fuit: Nudatus usque ad cingulum struem lignorum portabat dorso & candelam ardentem in manibus, subsequendo & protestando quod ad ignem deberet pro errore suo judicari, si in eundem reincideret. Delicta præterea contra sextum præceptum, utpote, fornicationes, adulteria, incestus aliaque ejuscemodi suo tribunali vindicabant Clerici. (d)

(c) *Nettelblad* in der Schwed. Bibl. p. 54. (d) *Stiernbæk*.
p. 427. & 413. *Nettelbl.* p. 44. *Diarium Wadstenense* p. 87.
Stiernbæk pi 429.

§. X.

Nec contenti fuere Episcopi Romano-catholici, res illas ad suum referri tribunal, quæ vel personas sacras spectabant vel sub censura ecclesiastica comprehendi videbantur; verum alias multas mere civiles causas eidem etiam accedere voluerunt, utpote homicidia, violationem sabbathi, furta, incendia dolosa, rapinas, atque plurima adversus primam & secundam tabulam delicta; quædam ad partem, ubi jurisdictio communis fuit Episcopo cum Rege & commune iudicium, quædam totaliter ut de iis nihil decernere liceret secularibus. Qui diebus ad sacra peragenda destinatis, vel in cœmiterio, in templo aut in via quæ ad ædem sacram ducit, alterum verberasset vulnerasset aut occidisset, ab Episcopo multaretur. Infanticidia etiam ad forum pertinebant ecclesiasticum. Si enim fœmina infantem nondum baptizatum necasset aut fœtum abegisset, de ea sententiam ferret Episcopus. Qui res sacras abstulisset, aut in loco sacro furtum commisisset, sub censuram fori hujus cecidit. Alioquin ea utpote plerumque morte digna Episcopus non curabat, sed secularibus iudicibus relinquebat. Ad usuras quod attinet, de illis in leg. Christoph. Tit. de jure Eccl. cap. XVI. verba sic audiunt. *Bisstoppen är domare öfwer äcker.*

§. XI.

Inter jura majestatis familiam ducit potestas Legislatoria, Nec in Republica recte instituta aliæ leges admitti debent, quam quæ ab imperio civili originem ducunt. Regnum autem papisticum a Republica distinctum eidemque oppositum suas etiam & suo statui convenientes Leges habebat. Præter Paparum bullas, quarum plurimæ in Patriam quoque missæ sancte observabantur, jus insuper Canonicum hic erat receptum. Hoc praxi primum Regibus id non animadvertentibus introductum, publica postmodum auctoritate muniebatur. In chronico Brynolphi sic exstat: Biskop Jerpulf var födder i Hærseby/ han gjorde Landet en stadgo å ny/ hvar bonde skulle giora tiende af thet Gud honom gaf/ om han skulle bura hatt eller Biskops staf/ Dikens Dåd efter Kinkiona Pag/ samt tilte til thet på en Herredag (c). Hoc factum est tempore Regis Canuti sub finem seculi XII;mi. Apud Surlæum legimus leges Lumberi, (qui Vigherianarum Legum compilerator tempore gentilismi existisse dicitur in cathalogo Legisferorum) Ab Æschillo in usum religionis christianæ, & favorem præcipue Clericorum auctas fuisse (d). Hæc accessio ex placitis juris canonici est facta. Unde caput de jure ecclesiastico, quale in Legibus antiquis exstat,

exstat indolem juris Canonici refert ubique. Hoc muro
 jura & privilegia Clericorum civitati perniciosissima
 protegebantur. Nec difficile est probatu, jus Publi-
 cum a Canonico tum fuisse oppressum. Nam privi-
 legia a Regibus data a Pontifice confirmabantur, ut
 nec a Largitore ipso nec ejus successore revocari
 potuerint; quum tamen jus Publicum dicitaret, illa
 posse restitui a successore, quæ a republica injuste
 alienasset antecessor (9). Immo verba juramenti re-
 gii de jure Ecclesiæ servando, sic interpretabantur
 Papæ satellites, ac si observantia sanctionum papali-
 um, quibus Clericorum jura erant descripta, præci-
 pue illis fuisset designata. Episcopi in juramento,
 quo muneri initiabantur, promiserant se sacros ca-
 nones atque decreta sedis Apostolicæ pro posse &
 scire esse observaturos (10). Hinc causas ad suum
 tribunal delatas secundum ista placita dijudicarunt.
 Nec erat, qui huic jurisdictioni se subducere sustine-
 ret, cum ad ipsos quoque Principes ista se extende-
 ret potestas. Duces Ericus & Waldemartus ut sa-
 crilegii rei excommunicabantur, quod milites in
 provincia ecclesiastica hibernare jussissent (11). Li-
 tem etiam inter Regem Ericum & Archipræsulem
 Olaum ad jus Canonicum in Curia Romana decisam
 esse testantur Pufendorfius & Loccenius nec non No-
 bil. Wilde. In Magnum Smek Papam quoque senten-
 tiam tulisse constat, quod censum petrinum impende-
 ret in bellum Muscoviticum ex nutu quidem ejus su-
 ceptum,

sceptum; atque quod Hemmingum Finlandiæ Episcopum sibi obstrepentem in vincula coniecisset (h). Sic invictum Sveciæ regnum & Magni ejus Gubernatores a Pontifice leges accipere cogebantur.

(e) Chron. Brynolphi III. c. V. (f) Sturlaus in Harm. Stren. c. 74. (g) ll. cc. Mag. Erici 3. §. 5. §. 5. de jur. Reg. ll. cc. Christ. c. 2. §. 1. & c. 4. §. 5, ibid. (h) lib. IV. c. V. p. 516. (i) hoc patet ex actis inquisitionis adversus, eos institutis, que adhuc supersunt, & bulla Joh. Pape XXII. data Avinion III. non Febr. 1317. Wilde in h. jur. publ. prag. c. III. Sect. II. §. 23. p. 400. (k) idem p. 405.

§. XII.

Quemadmodum & Leges condere & jus dicere licuit regno Papistico; ita sententias a se latas idem exsequebatur. In alios carcere animadvertunt Episcopi. Nonnullis rigidam injunxerunt pœnitentiam, quæ ab instituto ecclesiæ Apostolicæ prorsus aliena, pœna tantum erat civilis. Sacerdotes inferiores suspensione a munere, degradatione & remotione puniebantur. Excommunicatio gravissimum erat supplicii genus. Nam præter infamiam cum illo conjunctam, excommunicati nisi pœnitentiam mature subiissent, iudicibus secularibus ad luendam mortis pœnam tradebantur. Judicium quippe clericale sententias capitis non pronunciavit. Frequentissimæ vero fuerunt multæ pecuniariæ, quoniam illæ

illæ Episcoporum thesauros plurimum locupletabant. Si quis enim quemquam ad ædem sacram euntem in via vulnerasset, IX. marcas Episcopo IX. templo penderet; qui in cœmiterio XVIII. Episcopo, XVIII. templo; qui in foribus templi XL. Episcopo XL. templo; qui juxta baptisterium LXXX. Episcopo LXXX. templo; qui in aditu chori C. Episcopo C. templo; qui in choro CC. Episcopo CC. templo; qui denique juxta altare hoc crimine sese obstrinxisset CCC. marcas Episcopo CCC. etiam templo solveret. Ad has colligendas multas, suis utebantur exactoribus, qui *Bisops Lindsman* dicebantur.

N. stelladt in der Swed. Bibl. p. 64.

§. XIII.

Postquam tantas paraverant opes & juribus regni oppressis regimen Politicum juxta ac Ecclesiasticum occupaverant Præfules Romano-catholici ad hanc potentiam afferendam & amplificandam milites ac loca munita-necessaria videbantur. Neque magnis excidebant ausis. Habuit enim Archiepiscopus Upsalensis præter villam episcopalem quodammodo munitam, castrum Stekense in Uplandia munitissimum, atque aliud Gaddaborg dictum, in Norlandia. Episcopus Lincopensis arcem tenuit Munkabodensem, Scarensis Leckœensem, Stregnesiensis Tynnellœensem & Aboensis Custœensem possedit. Milites quoque præsidarios

diarios munimentis hisce imposuerunt, quumque Regem visitarent, *quadraginta* semper militibus erant stipati. Dicamus paucis: Hæ arces cum suo præsidio rebellium duntaxat receptacula erant. Hinc excursionem factâ ipsos invaserunt Principes ac turbas in regno excitarunt. Hic ubi in imperium peccaverant, delitescere licuit-

Nettelblatt in der Swed. Bibl. p. 67. Messen. S. ond. ill. Tom. II. p. 72.

§. XIV.

QVæ hætenus adduximus, confirmant jura & privilegia ordinis Ecclesiastici tantum, non singula tempore Papismi in Svecia reipublicæ adversa existisse; jam ad illud, quod caput rei est, demum progressi, injurias, in ipsos Principes exercitatas a conjuratis illis fratribus attingemus. Et cum omnes recensere negotium foret operosissimum, si non humana industria majus; extantiora tantum profereamus exempla, unde de reliquis facile poterit judicari. Cum Celeberrimo Nettelblatt, qui hanc Historiæ partem singulari studio descripsit, ab unione Calmarniensi, quæ Sveciæ, Daniæ & Norvegiæ regna jungebantur, ducamus exordium. Huic conventioni cum aliis pluribus Archiepiscopus Uptaliensis Olaus Laurentii subscripsit, quæ quidem in re non peccavit; quoniam non adeo noxia patriæ existisset modo
pro.

promissis atque pactis stetit Dani. Quod vero patriæ oppressæ subvenientibus resistit, in eo culpam nullo modo evitare potest. Quum enim ductu atque opera Engelberti, regni oppressore ac legum ejus opumque evertere Rege Erico patria liberari potuisset, Archiepiscopi machinatione factum est, ut certis conditionibus reciperetur; cumque regno iterum populabundus excederet, illum nihilominus revocare studuit atque a partibus ejus stetit. Post Nicolaum III, qui hic successit, sedi Upsaliensi præfectus est Johannes, ex familia Oxenstierniorum oriundus; qui in damno Patriæ importando omnibus facile excelluit. Hic Principi illi probo Carolo Canuti semper fuit inimicus, Danicis adhærens factionibus, Quum enim Rex in Oelandiam proficisceretur, regno illam recuperaturus, habitum ille militare induit, atque Vplandis stipatus regia devastavit prædia, ac Westmannos Nericios & Dalekarlos ad rebellandum excitavit. De Carolo sparsit in vulgus, quod esset Ecclesiasticæ & Politicæ libertatis oppressor, rituum hæreticorum sectator, iniquorum Præfectorum amator, diuturnorum bellorum sator, intolerabilium contributionum auctor inexplebilisque alienarum opum direptor (1). Has vero criminationes falsas fuisse vel chron. Rhytm. docet, ubi verba sic fluunt:

Konungens Fogata wulde thet alla /

Thet theane oshetan skulde på Konungen falla:

Za later han råbst i Swerike halla /

Ock låt them flaga ock wille tilhopa falla.

Han wilde råtta thet som oråt war giordt /

Eho thet hade någon tjdhs sport.

Han låth thera lif ock hals utråfia /

Ewa wilde han sina Fogtha späckia (m).

Quum Rex jus suum armis asserturus adesset, illi cum exercitu occurrit Johannes, eundemque victum & faucium intra mœnia Holmiensia se conferre coegit. Et licet Carolus, urgente necessitate, contra regiam dignitatem supplex cum illo in gratiam redire tentaret; flecti tamen non potuit ferreus homo; quare Rex ad insulas redactus salutis causa Dantiscum navibus petere cogebatur. Indignum est auditu seditiosorum Principem Holmia potitum ob hanc victoriam per totum regnum diem supplicationis indixisse. Deinde Olavum Axelii ad Fenningiam expugnandam mittit, atque una cum ceteris Præsulibus inimicisque Regis Caroli Christiernum in regnum accersit (n). Sed & hic ceterorum Danorum Regum fuit imitator in legibus patriæ evertendis civibusque adfligendis. Quapropter ejus regimen civibus tantum illico tædium peperit, ut regno illum expellerent Carolumque revocarent. Cæterum hæc Caroli felicitas minus fuit diuturna. Nam Archiepiscopus ex Dania rediens per regnum circumvolat, cives blandis promissis in partes suas allectat, exercitum comparat, Caroli ministros capit atque Holmiam oppugnat. Rex quidem illum repellere conabatur,

batur, sed frustra. Et tandem Episcopo sese dedere, regnum abjurare, veniam petere atque Raseburgo in Finlandia cum adjacenti provincia (etsi & illud ipsi a Conrado Episcopo Aboensi fuit denegatum) contentus esse cogebatur, de qua re chron. Rhytm. sic audit:

Ther motte Konung Karl daktunga med sorg /

De blef glader thet han fick Raseborg :

Konung Karl motte på sin knå falla /

De beddes nåd thet han motte sitt lif behålla.

D H Erre Gud som all ting seer /

Tu seer huru' theras hierta leer. (o).

Quo facto Archipræsul regnum pro lubitu ordinat, castella complicitibus suis defendenda tradit ipseque Holmiente sibi arrogat. Quum vero hæc bonis omnibus atque cordatis civibus displicerent, ad imperii clavum ipsi extorquendum Regique Carolo reddendum conspirant, quod etiam felicem obtinuit successum. Quo facto Archiepiscopus in Oelandiam secessit, ibique Carolo amicitiam offerenti nunquam placatus, diem obiit supremum. Mortuo Rege Carolo rempublicam cepessit Steno Sturius, eodemque tempore ad dignitatem Archiepiscopalem evehitur Jacobus Ulphonides, quem Steno suis sumptibus Romæ literis imbuendum curaverat, quare tanto meliora ab ipso sperabat. Hic autem beneficiorum immemor, Danicisque fraudibus infectus Principi probo sese opponit imperiique clavum huic extor-

tortum Regi Daniæ tradit. Quum vero ille quoq; ob pacta non servata ab Ordinibus regni solio deturbaretur, Archiepiscopum nihilominus partibus Johannis Regis faventem Sturius sibi habuit adversum; quem cum aliis remediis placare non posset, bellum ipsi infert atque victum pacem petere cogit. Stenoni successit Svanto, & huic paulo post Steno Sturius junior, cujus sub imperio Jacobus munus Archiepiscopale animo haud dubie subdolo abdicat, atque Gustavum Erici Trollii filium in locum suum commendat; cujus electionem etiam adprobat Princeps Parentique in filii promotionem pecunias mutuas dat, Sed hic ceteris non fuit secundus, si non illos extulperavit in fraudibus & juriisque exercendis. Christierni enim illi blanditiis ineluctus, Princitem qui Holmiæ eum lauto convivio excipere destinaverat, salutare non est dignatus, sed per occultos calles Upsaliam pergit, atrociam quævis illi minatur, eundemque novam sibi dignitatem gratulantem ludibrio exponit (p). Quam ob rem Princeps se deceptum deprehendens, literas Pontifici mittit, rogans velit Archiepiscopum auctoritate sua ad pacem tranquillitatemque compellere. Cum vero nec ejus monitionibus commoveretur Archiepiscopus; sed arcem Stenkensensem valido muniret præsidio ibique consilia & sibi & Patriæ inimica caperet; Princeps illum omnibus modis ad meliorem frugem revocare tentabat, sed irrito conatu. Quapropter arcem obsidione

ne claudit Danicumque præsidium depellit. Interim Christierni II. di arma felicem obtinere cæperunt successum, inprimis quum optimus Princeps in prælio ad Bogesundiam vulneratus paulo post fato fungeretur. Amisso enim Duce dissipantur Sviones, Dani contra, per regnum circumvolant atque crudeliter in Christierni adversarios grassantur. Tunc iterum caput suum extollit Archiepiscopus ejuratamque cathedram occupat, Deinde cum cæteris Episcopis atque aliquot regni Proceribus, Christiernum regni jura se observaturum fore spondentem, Restituit. Sed coronatione Regis peracta, quum Ordines lauto convivio exciperentur, laniena illa detestabilis Holmiensis seqvebatur, quam Archiepiscopo merito etiam adscribimus (q).

(l) Puffendorffius in hist. Sviogoth, p. 210. (m) Chron. Rhytm, p. 454. (n) Pufendorf. p. 113. (o) Chron. Rhytm. p. 481. (p) Messen Scand. ill. Tom. IV. p. 73. Pufendorf. p. 274. (q) *Loccen. obj.* hist. rer. Svec. pag. 202. & seqq. consulatur de tota hacce paragrapho Celeberr. Nettelbladt in det Swed. Bibl. pag. 100. cum seqq.

§. XV.

QUUM dominium Papisticum per infinitas artes lentis incrementorum gradibus ad supremum pervenisset apicem; magnitudine sua pressum subito collabascit ruina. Mirari subit, singularem hoc tempore

pore & conspiratum omnino consensum caussarum naturalium & civilium cum supernaturalibus atque Divinis. Utrasque tamen Divinas jure adpellaveris, quia idem est Deus, qui res moderatur humanas, & suam verbo voluntatem denunciat, Immanes adeo erant injuriæ in Syiones concumulatæ, ut omnem vincerent patientiam, Hostium perfidia repetitis documentis probata, & horrendo nuper crudelitatis argumento perspecta, spem sortis in futurum lætionis præclusit, nisi ipsæ malorum radices excisæ fuissent. Inter hæc temporum nebula in medium prodiit Gustavus Erici, benigno quasi cælo in terram demissus ad opitulandum afflictis. In hoc eminebant ingenium, doctrina, prudentia, fortitudo & ceteræ virtutes magna negotia animantes. Vidit autem ille, nisi fracta hierarchia papistica plenam Patriæ libertatem statumque felicem restitui non posse. Multiplex enim experientia docuerat, Præfules Papales externi jugi vindices & Regum Principumque indigenarum insensissimos hostes fuisse. Rebellem Archiepiscopi animositatem in ipso rerum gerendarum exordio expertus fuerat Gustavus. Nequæ erat obscurum, quod jura & Privilegia, quibus gauderet Clerus Papisticus talia essent, ut manentibus illis, salva Respublica esse non posset. Potentia imprimis Episcoporum politica, dignitate, opibus, milite locisque munitis suffulta, intra spatia, admodum angusta imperium limitabat. Sumtus ad sustinenda

regni

regni negotia necessarii, inertis superstitiosorum vulgo & seditiosis ejus ducibus non tam alendis, quam saginandis impendebantur. Sic Svecia opis alienæ indiga æri alieno immergebatur. Et illa jam exstitit rerum facies, ut aut excutiendum foret jugum Papisticum, aut Patria extrema subiret. Vel hæc causæ satis validæ fuissent ad exterminandum imperium Papale. Quilibet enim perspicere potuit, illam religionem non esse a Deo, quæ tot mala societati civili inferret. Sed animis in has partes inclinari cœptis cœleste accessit pondus. Doctrina enim evangelii, primum Germanorum huc advenientium relationibus, mox indigenis, qui Lutherum Wittebergæ audiverant internuntius in Sveciam deferrebat. Hæc scriptis Lutheri juxta advectis illustrata, errores Papisticos detexit omniumque oculis exhibuit spectandos. Et quemadmodum Rex veritatem dogmatum evangelicorum ipse percepit; ita de illis propagandis admodum erat sollicitus. Magna tamen circa hoc negotium usus est circumspectio, illam ingrediens viam, quæ & indoli religionis Christianæ & præsentis rerum statui convenientissima foret. Evangelium publice docendum curavit. Neque permisit, ut Clerus Papisticus vel alii ejusdem superstitiosis homines huic operæ intentos persequerentur. Doctoribus etiam Evangelicis prohibuit, ne in partem adversam acerbe declamarent, quod exasperandis potius, quam convincendis hominum animis infer-

vire facile intellexit. Disputatio quoque inter Olavum Petri & Petrum Galle in frequenti concessu Upsaliae habita causae Pontificiae prodidit infirmitatem. Et quo certius cives de veritate doctrinae Evangelicae persuaderentur, novi foederis libri illo iubente in linguam vernaculam conversi fuerunt. Unde brevi tempore factum est, ut plures saltem prudentiores rejecta Pontificia, Religionem Evangelico-Lutheraenam amplecterentur. Erroribus autem Papismi ex animis hominum excussis, vulnera reipublicae inde inflictata curare expeditius erat. Rex itaque sapientissimus Episcopis & Clero vires iminuit ne in posterum imperio formidabiles essent, Praefules castellis suis cedere coegit, posthac verbi tantum gladio usus. Praedia a Regibus imprudenter alienata reipublicae restituit; quae vero Nobiles inofficiose donaverant, ad superstites illorum familias redierunt. Monachos quidem claustris suis non extrusit, sed quum iam ante ad paucitatem reductus esset eorum numerus, majorem censum non reliquit, quam qui illis sustentandis sufficeret; quod reliquum erat publicos in usus impendebatur. Neque inde Episcopi & Abbates curam coenobiorum egerunt, sed alii probatae fidei viri, qui rationem reddituum Regi redderent. Volentibus integrum erat coenobiis excedere & aliud eligere vitae genus, quod multi etiam fecerunt. Hinc quum numerus fraterculorum istorum indices decreveret, neque alii advenirent, vanitate vo-

torum

M. hoc itaq. sic animo quam verborum apparatus prolixioris sibi gratulatur. a fideli pectore opto

torum monasticorum perspecta, etiam hæc bona in
 sinum Reipublicæ recidebant. Duæ decimarum par-
 tes coronæ vindicabantur, una Clero remanebat,
 Cum ipsa superstitione, quæ hæctenus innumera fu-
 erant lucra papistica cessarunt. Papæ auctoritas e-
 vanuit, nec Romæ amplius vectigal solvebatur. Caus-
 æ civiles suum ad forum remittebantur, & multæ
 pecuniariæ ad Regem tantam pertinere cœperunt, I-
 psis etiam Clericis injungebatur coram judice civili
 dicere causam.

Quid multis? Clericalis ordo, qui antea Pontifici
 Romano & Archiepiscopo, ordinario ejus in Patria Le-
 gato paruerat, jam quoad personas jura & privilegia
 imperio subiciebatur. Et sic respublica, quæ in papis-
 mo duplex fuerat, veram ad unitatem revocabatur.
 Variis quidem artificiis suum postmodum dominium
 inducere conabantur Pontificii tempore præcipue Re-
 gum Johannis & Sigismundi, sed Deo pro salute gre-
 gis sui advigilante omnes eorum machinationes in fu-
 mos abierunt. Sc puram adhuc servamus evange-
 lii doctrinam cum vera politia amice consentientem;
 quam ad seram utinam transmittamus posteritatem.

TANTUM.



forum monasticorum perbella, etiam hac bona in
 tantum Reipublice recidebant. Dux decematum par-
 tes coronae vindicabant, una Clero remanebat,
 Quam ipsa libertione, per hactenus innumera fu-
 erant iura papistica cessant. Pape auctoritas e-
 rant, per Romae amplius vestigialis solentur. Caus-
 se civiles sunt ad forum remittendae, & miles
 pecuniaris ad Regem tantum pertinere coeperunt. I-
 dis etiam Clericis iniungebatur coram iudice civili
 dicere causam.

Quod melius Clericis ordo, per antea Pontifici
 Romano & Archiepiscopo ordinatio eius in Patria Le-
 gato pareret, iam quoad personarum iura & privilegia
 imperio subiecerat sic se respiciens. per in papis-
 mo duplex facta, veram ad unitatem revocabat.
 Vnde quidem in hunc diem postmodum hominum
 in iure conabant Pontifici tempore praecipue Ro-
 gunt Johannis & Sigismundi, sed deo pro salute gre-
 gis sui advigilante omnes totum machinationes in su-
 mos abierunt. De parum adhuc servavit evange-
 lii doctrinam cum vera politica amice contentione;
 quam ad forum unicum transmittimus posteritatem.

TANTUM

